

Q.K.  
432,  
19.

II k  
49

2.  
G. a. e. o. u. o. i. n. i. n. t. e. o. s. d. m. b. e. l. b. e.  
L. u. o. h. o. f. i. c. e. s. t. r. c. o. g. i. n. g. e. u. a. c. h.  
D. i. o. s. p. i. c. h. u. m. i. n. g. u. m. i. n. g. u. m. i. n. g.  
**DE LAUDABILI ROMANORVM  
EDVCANDIS INSTITVENDISQUE  
IVRIS PRVDENTIAE STVDIOSIS  
CVRA  
PAVCA PRAEFATVR  
M. IO. CHRISTIANVS  
STEMLERVS  
ORATIONI VALEDICTORIAE  
CHRISTIAN. GOTTFRIED IVNGII  
WIEHA THVRINGI  
QVAE  
IDEM ARGVMENTVM PERTRACTAT.**

X 231 5838

---

*NVMBVRGI  
FORMIS BOSSOEGELIANIS.*





Go vero nolim inter eos, qui perpetuo nostrae aetatis conditionem accusant, grauiterque inueniuntur in peruersos seculi mores, meum nomen profiteri, qui, ne tum quidem gratas esse querelas, cum sunt necessariae, compertum habeo: non possum ramen animi dolorem premere, quod, subinde magis relanguescere in iuentibus discendi cupiditatem, intelligo. Nimirum sane recedunt a veterum industria et studio, vilissimarum rerum amore imbuti, adolescentes, nec solidam eminentemque adpetunt eruditionis imaginem, sed satis esse arbitrantur, in transitu abs se liberales artes attingi, adeo, ut merito illustris BERGERVS queratur; nostra memoria, crescente scholarum numero, senescere et tantum non intermorri in illis intentionem. Effectum est summi Numinis benignitate et incredibili doctissimorum hominum labore ac vigilancia, ut expromta nobis et parata sint omnia, quae vel excogitari possunt in vlo disciplinarum genere: sed qui frui his cupiant, admodum pauci sunt; plerisque somno ac languoride deditis, ingemiumque, quo nihil est amplius in rebus mortalium, incultu torpescere sinentibus.

Non libet iam his immorari diutius, nostramque desidiam cum acerrima veterum industria compondere, praesertim quum nihil fere proficiamus querelis: illud mihi potius datum esse negotii semper putau, ut malo quaererem remedium, ac prouiderem, ne inua-

les-

lesceret latius, et contagionem adferret. Quum igitur maiorem esse exemplorum vim in mentibus iuuenium, constet, quam monitorum ac praceptorum; ad prime salubre ac frugiferum fuerit, eis potissimum, qui animum ad iuris studium adplicant, atque ortis in republica litibus componendis aliquando daturi sunt operam, omnis exempli documenta in illustri posita ex Romanorum antiquitate proponere, atque exinde ad excitandos segnes petere aculeos.

Ardua sane res est tractandae reipublicae praeparare animum, vt prodire olim in forum, iuris dicundi peritia satis instructus, ac patrocinium aliorum suscipere, ciuiumque controuersias aequo et apto iudicio dirimere possis. Ut enim illas dotes iurisconsulti omnittam, quae non arte parantur, sed naturae fautricis munere conceduntur, sine quibus iurisprudentiae studium inserviet et inuita, quod aiunt, Minerua tractandum perficiendumque fuscipitur: (a) multa requiruntur elegantioris doctrinae adumenta ac praefidia, quae, magnac opus sollertiae est, et immensi propemodum laboris, sibi acquirere. Quid vero nostri iuuenes in turba clientium olim versaturi dicturique caussas hic agunt? vel mediocrem putant sibi ad iuris prudentiae studium sufficere eruditioem, nec operae pretium facturos se censem, si in illis artibus multum perdant temporis, quibus tamen nihil est pulcrius, nihil elegantius, nihil in luce reipublicae victuris accom-

) ( 2

mo-

(a) conf. POSNERI eloquent. academ. sext. ordin. argum. III. p. 770. sq.

modatius. Quae persuasio, mala certe et rectis ingeniiis inuisa, nescio, quomodo serpat in dies, ac deceptas vanitate mentes misere corruptat. In eo enim sapientiam et praeclarae laudis decus quaerunt nostri Themidis cultores, si fontes fastidiant, ab quibus riuuli, in omnes vitae partes diffusi, latissime dimanan. Nunciam vetustatis, historiam, praestantissimam vitae magistram, cuius maxime ad eos pertinet usus, quibus olim legum et iuris ciuilis perspecta esse ratio debet, (b) quasi non ad forum et praxin, ut aiunt, comparatam, adspernantur: eloquentiam non minus, vel imbecillitate animi, vel turpis compendii causa, vel praecepsitati studii culpa, tamquam alienam, nostri seculi moribus, a iurisconsulti persona, perinde ac poeticas delicias, fastidiose contemnunt. Quid vero de Graecorum litteris dicam? quas, si fieri posset, damnatas, ad extreimos orbis fines relegarent, ut vel ipsa earum memoria, quae inuisa illis est, ex animis hominum deleatur.

Hi, quum, peruerso satis consilio, hanc viam ad iuris prudentiam ingrediantur, sanctissimamque disciplinam tamquam sordidum tractent artificium, omni spe in illiberali lucro reposita, quas olim partes obituri sunt, quid praeclarum praestituri? Immo vero non se ipsis modo vana umbra et falsissima iurisprudentiae specie decipient, pro thesauris carbones arripientes, sed

ali-

---

(b) vid. FRANC. BALDVINVS in comment. de institut. hist. vniu. et eius cum iurisprud. coniunctione, lib. II. p. 104. ubi, tam necessaria, inquit, est historiae cum iurisprudentia coniunctio, quam vniuers corporis indiuisae partes, aut membra ciuelli neque possunt, neque debent.

aliorum quoque cogitationes fallent; et sacram rem  
publicam spe fraudabunt, cuius salus, dici vix potest,  
in quantum discrimen vocetur, si multi emergant simi-  
les illorum, quos syllabatum auctipes, formularum  
cantores, leguleios acutos TULLIVS; (c) aliusque fori  
tintinabula, togatos vultures, legum contortores,  
bonorum extortores scite ac venuste adpellauit. (d)

Haud paullo religiosius versabantur in studio tam ar-  
duo Romani, quorum exemplum vellem ut consesta-  
rentur omnes, qui in foro ac tribunalibus causas tra-  
ctaturi sunt. Ipsa educationis ratio ita erat apud hanc  
gentem comparata, vt non in cella emtae nutritis, sed  
in sinu matris alerentur filii, adhibitis in consilium par-  
temque curarum magistris probatis ac spectatis mori-  
bus, coram quibus nec dicere fas esset, quod turpe di-  
ctu, nec facere, quod inhonestum factu videretur. (e)

Quam diu rigitur pueritiae ratio intra parentum  
contubernium, ubi modica est, vel nulla plane peccandi  
materia, filios tenuit, (f) summa disciplinae severitate  
cautum est, ne sincera eorum natura exemplorum pra-  
uitate detorqueretur. Quum autem extra limen pro-  
ferenda essent studia, grammaticus vel rhetor quaere-  
batur, cuius scholae pudor castitasque constaret. (g)  
Prima hic litterarum graecarum erat cura, auspicium-

(c) de orator. lib. I. cap. LVI.

(d) conf. LVCIANVS, oper. tom. II. p. 545. et quae Papinianus ille Saxe-  
num ZIEGLERVS, in diff. de differentia aduocatorum a rabulib[is] notauit.  
Exstat ea in Syntagmat. a GEORG. BEYERO editat. eius diff[erentia] num. n.

(e) vid. auctor d[icit] al. de causis corruptae eloquent. cap. XXVII.

(f) PLINIUS, epist. lib. III. ep. III. (g) loc. cit.

que siebat ab Homero, cuius praeceptis puerile pectus  
ad virtutem prudentiamque futuro caussarum patrono  
dignam praepararetur. (b) Huic Menander, Euripides,  
Sophocles adiungebantur: dein ad historicos Thucydi-  
dem, Herodotum, Xenophontem, Polybium omne stu-  
dium conferebant magistri (i), probe memores, orna-  
menti plurimum redundare ex ipsis disciplinis, quarum  
tam late utilitas, quam delectatio patet. Quantam  
praeterea industriam tribuerint eloquentiae, superua-  
cuum esset copiose ostendere, quum iam inter omnes  
satis constet, primas illi Romanos detulisse, neque alii  
potuisse per amplissimi imperii sui formam. Hoc  
igitur praecipientium erat otium, hoc negotium, hic  
labor, haec quies, in hoc vigiliae, in hoc somnus fere  
reponebatur, ut versaturi olim in caussarum discrimine  
quam ornatissime differerent; quoniam tum circumci-  
sa velut amputataque videbatur iuris scientia, nisi subsi-  
dia et adparatum a dicendi arte peteret. Veram autem  
philosophiam cum animaduerterent iuris scientiae  
non minus quam eloquentiae robur et maiestatem  
conferre, summam habebant eius in studiis suis ratio-  
nem, illius praesertim partis, quae de moribus praeci-  
pit. Testes sunt Aelii Scaeuelae, Sempronii, Mucii, Seruui  
Sulpicii, Cicerones et alii, qui, non contenti illis, quae  
ieiunus aliquis rhetor traderet, diligentissime excipie-  
bant, quae omnibus rebus instructi philosophi ex penu-  
sua monerent atque suppeditarent. In usum reuocabant

---

(b) PLINIVS epist. lib. II. ep XIII.

(i) CELLARIUS, de studiis Romanor. litter. §. XII. diff. acad. part. I. p. 352.

praecepta exercitatione, ac frequenter producebant  
in arenam adolescentes, ut virium facerent periculum,  
ac de rebus utilibus declamarent. Audiamus ipsum Ci-  
ceronem, qui, commentabar, inquit, *declamitans saepius*  
*cum M. Pisone et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quo-*  
*tidie, idque faciebam multum etiam latine, sed graece*  
*saepius, quod graeca oratio plura ornamenta suppedita-*  
*tans consuetudinem simul latine dicendi adferebat.* (k)  
Ex quibus simul intelligimus, non neglexisse iuris prudentiae  
studio deditos linguae patriae cultum, quem iuris consultissi-  
mis viris insequentibus etiam temporibus cordi fuisse et curae  
eorum monumenta testantur, quae adhuc supersunt; eo dicendi  
genere scripta, de cuius dignitate Valla ipse nihil potuit detra-  
here. (l) Tum vero omni contentione iuris ac legum peritia  
imbuiebant iuuenes, non fraudulenta et captiosa, quae legibus  
insidiatur, vsumque foresem peruerit, sed sincera ac mascula;  
quod probe perpendebant cordatissimi mortales, nullam esse  
maiorem pestem, quam fraude illas in republica tolerare, at-  
que *ad argutam hanc malitiam* innocentes adolescentes erudi-  
re. (m) Sumta virili toga stipendia merebantur iuris studiosi, et  
iam si non ad militiae dignitates aspirarent, ne postea Senatores  
ignari essent rerum bello gerendarum. Quemadmodum autem  
nec in castris litterarum studia omittebant, ita reduces sum-  
ma ope nitebantur, ut finem, quem sibi praefixum haberent,  
consequerentur. Latinum ergo eligebant oratorem, ex quo cau-  
fas agendi disserent artificium. Ab eodem producebantur in fo-  
rum, ut periculum facerent eloquentiae defendendo vel accu-  
fando aliquem. Quodsi occasio se offerret, ad exteros etiam  
proficicebantur; quo magis perficerent exornarentque, quae  
coepta erant studia, et se ad illustrium virorum conformarent

exem-

(k) vid. Brutus cap. XC. SVETONIUS testis est, de clar. rhetorib. cap. I. Ciceronem usque  
ad praetoram declamasse graece.

(l) conf. MORHOFII epistol. de latinitate iuris consultorum veterum, dissertat. eius iunctim  
editis subiecta p. 773.

(m) LACTANTIUS, instit. diuin, lib. I. cap. I.

*QK*  
*TK*  
49

exemplum. Cuius rei non luculentiore testem professe quo  
Cicerone, qui dum in extrema parte libri, qui *Brutus* inscri-  
bitur, initia sua, studiorumque gradus refert, ait se Q. Mucio  
Scaeuolae, iurisconsultorum tum principi dedisse operam, tum  
et cum Philone Academico, et cum Diodoro, Stoico, diu fuisse  
una, studiumque philosophiae a prima cultum adolescentia re-  
nouasse. Nondum autem exsatiata discendi cupiditate, reli-  
ctis, quibus in urbe usus fuerat magistris, etiam in Achaiam at-  
que in Asiam profectum esse, postquam esset biennium versatus  
in caussis, et iam in foro nonnen suum famamque nobilitasset.

Tam bene praeparati, tam politi, tam praeemuniti discipli-  
nis prodibant in forum iurisconsulti Romanorum, diuersi ab il-  
lis, qui, quo minus sunt optimis artibus instructi, eo maiores se  
fore caussarum patronos temere et inconsulte fibi persuadent.  
Plura collegit multo studio iuuenis egregius CHR. GOTTFR.  
JVNGIVS, Wieha Thuringus, quae cras, relicturus litteratam  
hanc sedem, in λογω αποβατηλω, finitis post meridiem sa-  
cris, habendo venuste edisseret. Inuenit enim in Romanorum  
studia iuris tractandi ratione, quod inflammaret animum suum,  
atque ad imirandum incitaret. Vester auctor, Matricenates, fa-  
uor ac frequentia quum maiores adhuc flamas eius subiicere  
queat menti; impense, me interprete, rogat, ut eam non dene-  
getis dicturo benevolentiam. Adiiciet ciuis eius GOTT-  
FRIED. FEINLERVS, habita studii sui ratione, sermonem, quo  
medicorum veterum decus ab iniuriis et malevolentia criminato-  
rum vindicabit. Nos discessuro disciplinae nostrae alumno,  
etiam optimi parentis nomine, bene cupimus, atque, ut caussas  
forenses feliciter olim tractet, edendoque cras specimen grauis  
et prudentis aduocati praeludat gloriae, personamque hanc de-  
core sustineat quoniam in republica, et sanctum hoc inviolabile-  
que munus praecclare gerat, et leges ac iudicia laudabiliter admi-  
nistret, atque ita illustrissimorum Dominorum de Werther, qui et  
parentem et filium magna gratia dignantur, spem abunde com-  
pletat, animo libenti prolixoque optamus. P.P. Numburgi,

*Domin, Rogate, anno restitutae Salutis M.DCC.XXXII.*



X 2315838

DE LAVDABILI ROMANORVM  
IN  
EDVCANDIS INSTITVE NDIS QVE  
IVRISPRVDENTIAE STVDIOSIS  
CVRA  
PAVCA PRAEFATVR  
M. IO. CHRISTIANVS  
STEMLERVS  
ORATIONI VALEDICTORIAE  
CHRISTIAN. GOTTFRIED IVNG'II  
WIEHA THVRINGI  
QVAE  
IDEM ARGUMENTVM PERTRACTAT.

NVMBVRGI  
FORMIS BOSSOEGELIANIS.

